



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 2. Laudes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS XL. PURITAS.

**O**sculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Qui omnibus scelere facit vitam, & vult omnes esse salvos; neminem vult eorum, qui salvi fiunt, expertem esse hujus osculi: est enim ejus osculum, purgamentum cuiusvis fordis. Quamobrem mihi videtur Dominus hoc exprobrare Simoni leproso, *osculum mihi non dedisti*. Luc. 7. 45. Revera enim fuisset mundatus ab ægritudine, si ore attigisset Puritatem. S. Gregor. Niss. hom. 1. in Cant. hic.

Nihil quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius, eâ mente debet esse, quæ in Dei habitaculum præparanda est: quem, non aurò templa fulgentia, non gemmis altaria distincta, delectant; sed anima ornata virtutibus. S. Hieron. ep. 14. Non solum effusio sanguinis in confessione

reputatur; sed devotæ quoque mentis servitûs immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis, & violis, plectitur; ista de liliis. Id. ep. 27. epitaph. Paulæ.

Purum esse dicitur, quando est suo contrario impermixtum. S. Bonaventura f. 12. in Nat.

Valde est mirabile, & detestabile, quod totò posse homines laborant lavare corpora, mundare à vermibus capita, à fordis vestes: quærun in lectis munda linteamina, munda ferula, munda vina. &c. & non curant, si immunda habeant corda. Quid stultius? quid detestabilius? quid inordinatius? Vis habere omnia munda; & animam cælo nobiliorem non curas esse immundam. Id. f. 4. de Sanctis Apostolis.

Q.

## TITULUS I. QUADRAGESIMA.

§. I.

*Figura.*

**F**actumque est diluivium quadraginta diebus super terram. Gen. 7. 17. Legimus in veteri testamento, cum omne genus hominum scelera iniquitas occupasset, tot dierum numero patefactis cataractis cæli aquarum pluvias deluxisset; & mysteriò quodam Quadragesimæ inundatione orbi terrarum factâ non tam diluivium, quam baptismum contigisse. Itâ ergo & modò nobis Dominus illius temporis Quadragesimam dedit; ut constitutò dierum numero patefactis cælis pluvia nos misericordiæ cælestis irroret; & inundatione factâ per baptismum lavacri salutaris nos imber illuminet. S. Ambros. f. 34. de Quadragesima. Cum Mundi faciem iniquitas hominum possideret, tot dierum curriculò Deus, effusus de cælo imbribus, universam terram diluviò superfudit. Vides ergo, jam illò tempore mysterium in figura dispositum. Nam, sicut tunc quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum. S. August. f. 1. ser. 4. Post 1. Dom. Quadr. Per quadraginta dies, & noctes, pluit Dominus super terram: quanto nunc clementius cum præsentî agit pius restitutor ætate. Illis quadraginta diebus reus Mundus, naufragiò orbis exundatione, consumitur; nunc patet precibus. S. Eucherius f. 6. de eo: oportet orare. &c.

*Dominus circumduxit eum per desertum quadraginta annis.* Num. 32. 13. Legimus in veteri testamento, cum S. Moyses filios Israel de jugo Ægyptiæ captivitatis erueret, ut in terram eos repromissionis induceret, quadraginta & duorum dierum eum ad memoratam terram mansionibus pervenisse. Eodem numero

Moyses pervenit ad requiem; quò & nos per jejunia properamus ad cælum. Jejunia enim nostra mansiones quadam sunt; per quæ iter spiritaliter facientes, animæ virtutibus ambulamus; & diurnò profectu repromissa nobis terræ viciniore efficiamur: itâ ut citius perveniat, qui devotius jejunarit. S. Ambros. serm. 23. de jejuniis.

*Quadragesima est tempus putationis.* Cant. 2. 12. Quadragesima est tempus putationis, quia institutum, ut in eo tempore amputentur omnia peccata: dein ut etiam putentur superflua, & voluptuosa in cibo & potu, somno, & joco. Idque alacriter præstandum; quia, ut dictum, est tempus cantillationis. de Ponte hic Exh. 21.

§. II.

*Laudes.*

**E**cce nunc tempus acceptabile. 2. Cor. 6. 2. Unde & ego testificor vobis hoc esse tempus cælestis quodammodo medicinæ: in quo omnium vitiòrum nostrorum labem, & universa vulnera peccatorum, sanare poterimus; si Medicum animarum nostrarum fideliter exoremus. S. Ambròs. f. 27. de jejuniis.

*Ceteri occisi sunt gladio.* Apoc. 15. 21. Probabile est, diem resurrectionis generalis fore eundem, quò resurrexit Christus, putâ diem Paschæ. Suppositis his principiis: scilicet primò à necè AntiChristi usque ad diem Judicii, & resurrectionis, præcisè fore quadraginta dies. Secundò, resurrectionem fore ipsò die Paschatis; sequitur, AntiChristum occidendum finitis Bachanalibus primò die Quadragesimæ; ac dein

quæ

quadragesimam totam dandam lapsis ad penitentiam, ut se praearent ad ultimum Pascha. Cornelius hic.

Jucundi sunt juniorum dies, spirituale animarum ver, & fidissima tranquillitas animorum. S. Chrysoft. serm. de jejunii, & lectione Genesis.

Hodie dilectissimi sacrum Quadragesimae tempus in gredimur, tempus militiae Christianae. S. Bernardus in capite jejunii.

Dicite fratres, quomodo nunc pugnetis: nam hoc tempus Quadragesimae tempus est belli, & certaminis, cum diabolo. S. Thom. Vill. D. 1. Quadr.

Silicet unumquemque vestrum, quasi quandam mercatorem in Quadragesima opibus coactis spiritualibus, velut in portum ad Sacrum Pascha venisse, multis comparatis eximii mercibus virtutis. B. Theodoretus Srudita l. 4.

Credibile est, quod Deus, qui tot bona largitus est nobis, in illis diebus modò gratiam abundantius effundat. Thom. Aqu. Dom. 1. Quadr.

### Miscellanea.

Quadragesimam nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet Dei conversationis. S. Ignatius M. ep. 5. ad Philippens.

Cum autem jejunatis &c. Matth. 6. 16. Cur Ecclesia cum hoc Evangelio primà die Quadragesimae adjungit memoriam mortis? & nostrorum malorum origo ex triplici radice pullulavit. 1. ex oblivione mortis. Gen. 3. 4. nequam moriemini. 2. ex gula. ib. 3. ex immoderatione oculorum: *vidit mulier, quod esset bonum. Volens Ecclesia origini malorum esticax adhibere remedium, oblivioni mortis opponit certam illius assentionem: pulvis es, & in pulverem reverteris.* Adam gulam antido jejunii excludit: *cum jejunatis.* Immoderationi oculorum opponit visus cautelam: *si oculus tuus fuerit simplex.* Sylveira hic q. 16.

Tota vita Christi erat Quadragesima: non comedebat, nisi semel in die. S. Vinc. Ferr. f. de SS. Sim. & Juda.

## TITULUS II. QUÆRENDUS DEUS.

### §. I.

#### Facile invenitur, promptus adest.

**E**xultavit, ut gigas, ad currendam viam. Pl. 18. 6. Non enim tardavit, sed cucurrit; clamans dictis, factis, morte, vitâ, descensu, ascensu: clamans, ut redeamus ad eum. Et discessit ab oculis, ut redeamus ad eum, & inveniamus eum. Abscessit enim; & ecce hic est. Noluit nobiscum diu esse; & non reliquit nos: illuc enim abscessit, unde nunquam recessit: quia Mundus per eum factus est, & in hoc Mundo erat. &c. S. August. l. 3. Conf. c. 10.

Quærite Dominum, & confirmamini. Pl. 104. 4. Jubet Propheta Dominum quærere; nec tempus assignat, quò id faciamus. Hic quando cum rege loquendum, horam praequirimus, & tempus opportunum, ut cum illo res nostras pertractemus. Respondet Gregor. Niss. hom. 7. in Eccl. quod est tempus quærendi Dominum? breviter dico, & compendio, totâ vitâ. In hoc enim solo studii tempus, est totum studium. Did. Niss. ser. 6. Dom. 3. Quadr. §. 4.

Quæsierunt me &c. II. 65. 1. Ecce ego, ecce ego. Nota: claritatem nostram erga Deum vicissim Dei alacritatem, & beneficia, in nos provocare. Deus enim munificentissimus munificentiam se vinci non patitur; sed volentibus spontè occurrit, eorumque vora implet, imò superat. Hoc significat hæc iteratio: ecce ego, ecce ego. Cornelius hic.

Multum laboravi quærens te extra me: & tu habitas in me; si tamen ego desiderem te. S. August. solil. c. 31.

Quantò magis colligis animum tuum ad eum quærendum, tantò magis ipse compellatur à propria misericordia, atque benignitate, ut veniat ad te, & te refocillet. S. Macarius hom. 31.

Infans, licet nihil possit proficere, aut propriis pedibus accedere ad matrem nequeat; nihilominus evolvitur, clamat, & plorat, in quærens matrem. Erga quam summâ afficitur misericordiâ mater; & gaudet de infante quærente eam cum labore, & clamore, & cum non possit infans ad eam pervenire, nihilominus, ob multam pueri inquisitionem, ipsa mater abit ad illum, amore pueri capta. Et amplectitur, circumfovet, atque alimentum profert summa cum dilectione. Hoc ipsum benignus quoque Deus facit in anima ad eum accedente, & ejus desiderio detenta. Id. hom. 46.

### §. II.

#### Quærendi Deum varia alia motiva.

**I**n die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis. Pl. 76. 3. S. Hieron. hic. ac si apertè dicat: filium perdidit; incensa est domus mea, ad mendicitatem veni. Non quæro illud, quod perdidit; sed Dominum quæro, si enim illum invenero, in isto invenero omnia.

In lectulo meo per noctes quæsi vi &c. Cant. 3. 1. quæsi infirma infirmè. *Surgam, & circumcibo civitatem,* totam creaturam universitatem. O anima mea, si sapienter, & diligenter, quæreres; hoc tribus signis attenderes. 1. lumen peteres, nè tenebris impedereris. Psal. 66. 1. *illuminet vultum suum super nos &c.* 2. scientes interrogares, ut ad inventendum expedereris. *Ubi est, qui natus est &c.* Matth. 2. 2. *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* Cant. 3. 3. 3. in nullo, quod à requisito aliud est, sisteres; sed sine morâ transiens ad aliud oculos projiceres; donec tandem quæsitum invenires: ut illa, quæ inclinavit se, & videns in monumento etiam Angelos, nec alloquitur ipsos, nec diu intue-